

prium, aut idem significans, aut factum uerbum in plura uerba deducitur. Ex oratione, cum aut definitio ad unum uerbum reuocatur, aut assumpta uerba remouentur, aut in circuitus diriguntur, aut in coniunctione fit unum uerbum ex duobus. In coniunctis autem uerbis triplex adhiberi potest commutatio, non uerborum, sed ordinis tantummodo: ut cum semel dictum sit directe, sicut natura ipsa tulerit, inuertatur ordo, & idem quasi sursum uersus, retrorsum dicatur, deinde idem intercise, atque permiste. Eloquendi autem exercitatio maxime in hoc toto conuertendi genere uersatur. C. F. Actio igitur sequitur, ut opinor. C. P. Est ita, quæ quidem oratori & cum rerum & cum uerborum momentis commutanda maxime est. Facit enim & dilucidam orationem, & illustrem, & probabilem, & suauem, non uerbis, sed uarietate uocum, motu corporis, uultu, quæ plurimum ualebunt, si cum orationis

tionis